Fragmentarium

Crispinum et Crispinianum · Rufinum et Valerium · Marcellum et
Lucianum · Victoricum · Fuscianum · Piatonem · atque Regulum cum
eis pariter advenisse · Igitur prefati duo viri sanctissimi Quinti
nus scilicet atque Lucianus Ambianis Gallie civitatem venien
tes · Loca in quibus commorari deberent elegerunt · Sanctus
namque Quintinus Ambianis resedit · Beatus vero Lucianus Bel
vacorum adiit · Ubi instanter ieiuniis et orationibus eis va
cantibus · Ceperunt eorum merita Christi lumine coruscare · non
solum eorum predicationum documentis · verum etiam vir
tutum et miraculorum ostensionibus · Nam et crucis signo
cecis lumen · surdis auditum · mutis loquelam · et paraliticorum
membris pristinam reddebant sanitatem · Principibus vero
supramemoratis imperatoria sceptra gerentibus · et persecutione
magis ac magis crescente · Rictiovarus quidem ab impe
ratore Maximiano prefectus in Gallias constituitur · Accep
ta ergo hac potestate tantum adversus christianos eius insa
nia exarsit ut numquam rabiem suam ipso eorum sanguine
satiaret · Veniens itaque Basileam Gallie civitatem inven
tos christianos in eo loco ubi Arar flumen Reno flumini se infun
dit mergere et crudeliter necari precepit · Quorum corpora
unda fluminis · animas vero Christus suscepit in astris ·
Facta itaque circumquaque de christianis inquisitione · Rictiova
rus prefectus Ambianis pervenit · Ubi famam beati Quintini
audiens quod et predicationibus et signis ac virtutibus clarus
omnibus haberetur · Et statim comprehensum et catenis
eum in carcerem iussit retrudi · Ducentibus autem ministris
illud davidicum psallebat dicens · Domine ne derelinquas me ·
sed eripe me de manu peccatoris · et de manu contra legem

License: public_domain – Gent, Archief Gent, OA_180_s2_01_1, lower pastedown – Sermon for the feast of St Quintin; <i>Tertia passio et inventio Sancti Quintini</i> (BHL 7008) (https://fragmentarium.ms/view/page/F-urt3/9614/70475)